



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Amico rebus prosperis plus æquo superbienti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

riculi memoriam, quando gravius discrimen incurrere. Ceterum cave deinceps, valetudinem ut cures tuam diligentius, quam fecisti; ac si te tua ipsius salus tam parum commovebit, cogita, etiam atque etiam precor, hoc esse amici tui fatum, ut ab incolumitate tuâ sua ipsius salus dependeat.

A M I C O

Rebus prosperis plus æquo superbienti.

Ad Commonendum.

Morosus ego præter modum fortasse tibi, mi Theophile, aut etiam lætioris fortunæ, quâ frueris, invidus quibusdam videar, qui intempestivis admonitionibus tua inturbare gaudia sustineam. Absit hoc à me! Nemo hominum est, mihi crede, quantum est, qui vivunt, qui res tibi secundas cupidius velit, aut easdem tibi lubentius gratuletur. Esto; per me licet, frui bonis illis, quæ tibi Superi liberalius indulserunt; gaude etiam lætâ illâ sorte, quam iisdem faventibus adeptus es. Gaudebo tecum pariter, & illa bona tibi ut propria faciant, ultrò precabor. Tamen non cessabo monere te diligenter, ut insolentiore lætitiâ abstinereas. Hoc relinque pusillis, siquæ non satis compositibus animis, ut rerum ex voto fluentium copiâ superbius efferantur, neque ullum fortunæ ridentis ad aspectum servare modum possint. Postulat invictæ mentis constantia, ut non minus casus inter prosperos, quàm inter adversos re-

Cum

Etum animi tueri sustineat. Quod nisi valeat assequi, quibus se demum periculis, fortuna filius, quisquis erit, objiciet! Est enim hæc, ut satis nosti, Numinis illius indoles, ut mutabilitate maximè gaudeat, & superbos etiam triumphos tristissimis vertere funeribus delectetur. Hanc verò reflantis fati sævitiam tantò gravio-rem sentire quis solet, quantò suavius blandien- tis illecebras degustârit. Tum verò lætitiæ suc- cedit dolor, & immoderatos risus amari fletus occupant. Vide ergo, mi Theophile, ne quid rebus in prosperis admittas, cujus in adversis te pœniteat. Ita porro, si me audias, fortunam feres tuam, ut si, pro mobilitate, quâ viget, à te recesserit, eâ faciliè carere possis. Vale.

DEMOSTHENI

*Qui ex acie cùm fugeret & adhesisset
Rubo inter fugiendum, disertam ad
Rubum ipsum, quem hostem crederet,
Orationem habuerat.*

Jocularis & Satyrica.

Quibus ego te verbis prosequar, Amice mi? quâ gestientis animi significatione, gratulabor tibi periculi magnitudinem, quod sospes & incolumis evasisti? Fatere nunc demum gravissimos esse bellorum casus, quibus ferendis virtus quantumvis heroica vix ac ne vix quidem sufficiat. Quanquam accusare satis non possum
hostis